



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 38. Sultani Ægyptii ad Papam epistola.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

*Ecclesie Romanæ rationibus consulere. Qui Scali comprehensi fuerant, idem locuti sunt in confessione voluntaria, quam publice fecerunt ad moriendum parati. Episcopus Bambergensis Roma post venalem sui consecrationem rediens, antequam a servis nostris in Germania caperetur, etiam palam dixit, nos certo certius a domesticis nostris brevi de medio sublatum iri. Episcopos tam atrox consilium posse capere nunquam putassemus. Nam hactenus (Deus scit) etiam post Lugdunense concilium nunquam consensimus in necem Papæ vel Cardinalium cuiquam afferendam, quamvis e servis nostris aliqui pro suo salutis nostræ studio id sæpe a nobis flagitaverint. Tueri nos sine vindicta contenti sumus. Dabat Salerni 25 Aprilis.*

Sæcul. XIII.  
A. C. 1246.

§. XXXVIII.

*Sultani Ægyptii ad Papam  
epistola.*

**P**apa Innocentius scripsit etiam Sultano Ægyptio Melic-Saleh, ut Friderico ap. Rayn. n. 52. foedus renunciaret, persuasurus. Respondit ille hunc in modum: *Accepimus vestram epistolam, & Legatum vestrum Matth. Par. p. 621. Alb. Stad. fol. 618. audivimus. Locutus est nobis de Jesu Christo quem præ vobis & cognoscimus, & honoramus. Pacem, quam omnes inter populos conciliare cupitis, nos pariter optamus.*

K k 2 mus.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1246.

*mus. Sed nostris fœdus mutuamque amicitiam jam tempore Sultani patris nostri, quem Deus in gloria sua collocet, nos inter & Imperatorem junctam. Quamobrem nobis pactionem cum Christianis aliquam sine Principis hujus consensu facere non licet: ac Legato, quem in ejus aula habemus, ea, quæ vester nobis exposuit, scripsimus. Viva vobiscum voce consultabit: & ad ejus responsum nos ita conformabimus, ut non deflectamus ab utilitate publica, & a Deo gratiam ineamus. Dabat die septimo Arabici mensis Moharram, qui hoc anno 1246 mensis Augustus erat.*

§. XXXIX.

*Fridericus de hæresi purgare se vult.*

*ap. Rayn.*  
*n. 18.*

*Interim Fridericus se purgare voluit de suspitione hæresis, causa, cur condemnatus sit, odiosissima. Hunc in finem examen subiit Archiepiscopi Panormitani, Ticinensis Episcopi, Cassinensis, Cavenensis, & Casa Novæ Abbatum, & duorum Fratrum Prædicatorum Rolandi ac Nicolai, qui eum de articulis Symboli Apostolici, atque de reliquis fidei catholice punctis interrogarunt. Juravit, ea se firmiter credere, & viros illos constituit procuratores suos, ut ipsius nomine idem jurarent, ac præsentis Papæ faciendam*